

num, vel eis impeditis, die immediate sequenti, celebrandi missam de requie in quocumque altari, etiam portatili, et liberandi animas secundum eorum intentionem a purgatorii poenis per modum suffragii.

21. Tenendi et legendi, non tamen aliis concedendi, præterquam ad tempus tamen iis sacerdotibus, quos præcipue idoneos atque honestos esse sciat, libros prohibitos, exceptis operibus Dupuy, Volney, M. Righellini, Pigault, le Brun, De Potter, Bentham, J. A. Dulaure, Fêtes et courtisanes de la Grèce, Nouvelle di Casti, et aliis operibus de obscœnis et contra religionem ex professo tractantibus.

22. Præficiendi parochiis regulares, eisque suos deputandi vicarios in defectu sæcularium, de consensu tamen suorum superiorum.

23. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima missa non sumpserit ablutionem — per unam horam ante auroram et aliam post meridiem — sine ministro — et sub dio et sub terra, in loco tamen decenti — etiamsi altare sit fractum vel sine reliquiis sanctorum — et præsentibus hæreticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, si aliter celebrari non possit. Caveat vero, ne prædicta facultate seu dispensatione celebrandi bis in die aliter quam gravissimis causis et rarissime utatur, in quo graviter ipsius conscientia oneratur. Quod si hanc eandem facultatem alteri sacerdoti juxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas utendi alicui, qui a Sancta Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, serio ipsius conscientie injungitur, ut paucis dumtaxat, iisque maturioris prudentie ac zeli et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, et ad breve tempus eandem committet aut respective causas approbet.

24. Deferendi S^{mum} Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in